

Sublimes humili sensus attempero linguæ :
 Nec mihi ab ore sed ex pectore verba fluunt.
 Niliacis ornate alii delubra tropæis,
 Laudo ; sed in præsens causa aliena mihi est.
 Humanæ verbis sophiæ inclarescere nolens,
 Paulus adest doctis debitor et rudibus.
 Cum David cinere, et cilicino horrescat amictu,
 Rhetoricis compta quis volet esse rosis?

A Jam mihi purga aures atque excute fæces palatua,
 Vel magis intra animi septa redito tui.
 Non linguæ, sed cordis ad hæc delectus habendus :
 Nam mihi cum rebus tota palæstra fuit.
 Ne sensu hæc sapias, sed quo sunt prodita gustes
 Spiritu, et hoc animæ viscera pascere bono.
 Consultum pariter summis minimisque volebam,
 Et ratio captus omnis habenda fuit.

Sequitur in editione Coloniensi tomus seu pars III Operum S. Brunonis. Continet, præter sermones quosdam, opuscula De laudibus Ecclesiæ, De ornatu Ecclesiæ, De novo mundo, De festiuitatibus festiuitatum. Quæ tamen non sunt Brunonis Carthusiani, sed Brunonis Astensis episcopi, et ejus Operibus anaumerantur. (Vide infra ad annum 1125.) Opuscula supradicta excipiunt S. Brunonis epistolæ binæ, Sermo De contemptu diuitiarum et appendix De origine sacri Carthusiensis ordinis.

DIVI BRUNONIS

EPISTOLÆ BINÆ

Quas scripsit ex eremo Calabriæ cum ex urbe Roma ad eam se solitudinem, in qua et obiit, postliminio se recepisset.

I.

Ad Radulphum Viridem, Ecclesiæ Remensis præpositum, ad contemptum mundi, vitam eremiticam contemplatiuamque optimam Martæ partem, insuper ad voti implentionem, exhortatoria.

(Vide inter Acta S. Brunonis, n. 683, hujus tomi col. 420.)

II.

Ad filios suos Majoris Carthusiæ.

(Vide ubi supra col. 418.)

SERMO DE CONTEMPTU DIVITIARUM.

Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cælorum (Matth. xix, 24). Hoc autem significabat illa amphora, in qua impietas clausa erat, de qua ne egredi posset, massa plumbea os amphoræ clauderat (Zach. v, 6, 7). Qua in re datur intelligi quam difficile sit de ventre avaritiæ hominem avarum vel extrahi vel separari posse. Narrat enim Zacharias propheta se vidisse amphoram egredientem, de qua cum interrogaret quid esset, dictum est ei : *Hæc est amphora egrediens, et hic est oculus eorum in universa terra ; et ecce talentum plumbi portabatur : et ecce mulier una sedens in medio amphoræ (ibid.).* De qua cum interrogaret quæ esset, dictum est ei quod esset impietas. Quæ autem amphoræ massa plumbea clausum erat. *Et ecce duæ mulieres egredientes, quæ habebant alas quasi milvi, leuauerunt amphoram inter terram et cælum ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, et stabiliatur, et ponatur ibi super basim suam, etc.* Quid enim per amphoram nisi avaritia significatur? *Hic oculus eorum.* Quorum eorum? Eorum videlicet qui eam diligunt in universa terra. Omnes enim ad eam spectant, omnes ad eam tendunt, quoniam sicut

scriptum est : *Pecuniæ obediunt omnia (Ecc. x, 19).* In hac autem sedet impietas, quoniam diuites et avari, quia misericordiam et pietatem non habent, non solum impii, verum etiam impietas recte vocantur. Sed quid melius per duas illas mulieres quæ amphoram ferunt, quam sollicitudo et deceptio intelligi potest? Semper enim avari solliciti sunt in acquirendo, et deceptores alieno aliena rapiendo. Unde et alas milvi hæ mulieres habere dicuntur, quoniam milvus inter alias aves rapacissimus est : qui semper pusillis et mansuetis avibus insidiatur. Ferunt autem hæ mulieres, id est deceptio et prava sollicitudo, amphoram in terram Sennaar, sive Babylonis, quia his duobus vitiis diuites et avari in perditionem rapiuntur. De hac enim Babylone scriptum est : *Cecidit, cecidit Babylon illa meretrix : et facta est habitatio dæmoniorum (Apoc. xiv, 8).* Miseri igitur et per omnia infelices, qui inter dæmonia habitaturi sibi in terra Sennaar domum inuenerunt. A qua nos eruat mitissimus Dominus noster Jesus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per æterna sæcula. Amen,